

comprehendere possunt, capiunt, eamque sum-  
 mis labris degustant tantum, & pro usu esuque pa-  
 nis & symboli Cœnæ substituunt, ita nihil usquam  
 à Satana intactum in religione Christiana relictum  
 est, sed omnia etiam augustissima quæque fœdè  
 conspurcata. Deinde ascititia illa in Cœnæ sacra-  
 mentum aqua variis laudibus commendata est,  
 quia & Baptismus solam aquam habet, & in vino  
 intemperantia esse dicitur, eoque iubentur reges  
 abstinere. Ephes. 5. versu 18: Prouerb. 31. vers. 4.  
 Præterea, miracula in aqua facta erant à Narcisso,  
 ut ait Nicephorus libro 5. capite 9. Postremò iam  
 exorti Encratitæ & Taciani ciborum aliquot, quæ-  
 admodum diximus, genera damnarant, ita paula-  
 tim confirmata Aquariorum sententia recepta est  
 & probata, quæ in Missa papistica ex parte etiam-  
 num hodie retenta est. tanti nimirum est à Dei in-  
 stitutione & ordinatione non recessisse.

## CAP. LXV.

Coluthiani cur sic dicti. Erroris eorum caput.



*Coluthiani à quodam Colutho, qui dice-  
 bant Deum non facere mala, contra il-  
 lud quod scriptum est, Ego Deus creans  
 mala.*

I Coluthiani à quodam.) Coluthiani dicti sunt  
 hi hæretici vel Collouthiani, quos tamen collitia-  
 nos à quodam collitio, vocat Isidorus: sed, meo qui-  
 dem iudicio, mendosè & corruptè, apud quem no-  
 men istorum ex hoc Augustini loco (quem totum  
 Isidorus transcripsit) restituendum puto. Platina ve-  
 rò pes-